

merito suo illum pati. Eundē sensum habet annotationis quam ex Bibliis anni 1532, proferunt, Cogor mētiri, quum ius etiā pro me habeam. i. quum sim innocens, & nullo meo delicto patiar à Deo: homines tamen aliud asserunt, vt cogar cū ipsis mētiri, me propter peccatū meum. pati. Quis enim non videt querimoniā esse, qua testatur Iob iniuriā sibi fieri ab importunis hominibus? Porro an nihil faciat annotatio ad sensum textus, lectoribus iudicium permitto.

Matth. 22. c. 12.

Artic. 8.

Annotatio, Vestis nuptialis fides. Bibliis 1532. 1534 1546.

Censura, Hæc annotatio est hæretica.

Obstupescēt exteræ nationes, scio, ad tantā barbariem. Et me certe pudet nostri dedecoris. Quanquā hoc summū potius regni Gallia erit decus, si colluue ista purgetur, sub qua dudū tabescit. Hæresis est, vestē nuptialē pro fide accipere. Omitto quòd ex vetustis & classicis Ecclesie doctoribus sic quidam senserunt. Res ipsa absque hominum patrocinio consideretur.

Iacobi 2. b. 17.

Artic. 9.

Annotatio, Fides sine operibus nō est